



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Verna - A Dominica Septuagesimæ, ad Dominicam SS. Trinitatis

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Vt fur de furto, sic mundus de mundo gaudet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44214

animo reddat: tum ex ipso qui potest inde fructu colligi, fuse narret. Ac ne longius abeamus; quis Christianus illis lectis, quæ de futura temporis commemorata sunt; non magis sibi dolendum sentiat, quam isti viro Ethnico, quod non temporalem modo vitam sibi eripiat, sed divinam in se manentem, sed æternam & beatam in qua mansurus est, & de qua tot demit gradus, quot consequi poterat, si rationem sui temporis duxisset cariorum? Pavendum sane illud, quod narraret de Angelo, quem Joannes vidit stantem super mare, & super terram; qui levavit manum suam ad cælum: & juravit per viventem in sæcula sæculorum: *Quia tempus non erit amplius!*

Vide in 3. parte Dominicam 7. & in 4. to-ram hebdom. 18.

EX SECUNDA EVANGELII PARTE.

Amen dico vobis, qui plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudet, &c.

PRIMA VERITAS.

Qui de Christo dolente non dolet cum Apostolis, nec de illo gaudente gaudere potest cum ipsis.

Ratio fuse declaratur in hac 2. parte, Feria 2. hebdomadæ 1. Quadragesimæ.

SECUNDA VERITAS.

Ut fur de furto, sic mundus de mundo gaudet.

Sensus & ratio est, quod idcirco fur de furto male gaudet, quia de malo gaudet. Ergo & male gaudet, & sicut fur de furto, sic mundus de mundo gaudet.

Tota ratiocinatio est facilis. Primò quidem quam pravè fut de furto gaudeat, quis non tam clarè videt quam malum esse, furari. Quod si quis non id videret, audiat Prophetam Isaiam, inquit S. Augustinus: *Non est gaudere impiis, dicit Dominus, gaudere quod vocant impij non est gaudere. Vtique videbat Isaias homines in potatione, in luxuria, in theatris, & in spectaculis, totum mundum luxuriari variis nugis, & tamen clamabat: Non est gaudere impiis*

dicit Dominus; si hoc non est gaudium, quale gaudium videbat, in cuius comparatione hoc non est gaudium?

Sic & sanctus Prosper: *Gaudere quidem bonum est, sed qui gaudet, si non inde gaudet malum, non potest bonum esse quod gaudet. Siquidem gaudet & raptor cum desiderata rapuerit: gaudet & ebriosus cum exceptata occasione potationis invenerit: gaudet & adulter, cum ad delectationem concupitam pervenerit. Sed cum sis gaudere bonum, de his atque huiusmodi gaudere, grande est malum: hæc & his similia sunt unde gaudere nos vult mundus, cum suis amatoribus periturus. Hac sunt qua repudiare debemus, ut de bona conscientia, & sanctitate morum, de acquisitione virtutum, de dono Dei, & promissione futuri regni ineffabiliter gaudeamus.*

Deinde verò quod læundò dicitur, mundus de mundo gaudens sic de malo gaudet, tam facile potest intelligi, quam vox illa *Mundus*, quæ jam sæpissimè sic declaratata est, ut significare diceretur eos, qui ex concupiscentia res mundi diligunt, qua posita declaratione nominis, tum apertè liquet quòd quando de his rebus gaudent, de malo gaudent, non quidem in se, sed in modo rei possessæ, cujus possessio parit gaudium. Non sunt quidem malæ divitiæ, sed malum est divitiæ ex prava concupiscentia diligere & possidere; Unde quod ex tali dilectione & possessione procedit gaudium, tam verè de malo est quam mala est illa dilectio, *Ve vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram. NVNC autem exultatis in superbiis vestris: Omnis talis exultatio maligna est.*

Qua de re, fuse in 4. parte, hebdomada 17.

Patet itaque veritas, quòd sicut fur de furto, sic de mundo mundus gaudet, sic perversè, sic pravè, sic falsò & non ferendo gaudet: *Veruntamen in hoc nolite gaudere. Velle sine gaudere de furto? Quamobrem verò, nisi quia malum est quod detestaris. At si gaudere de mundo non minus est malum & detestandum, cur non minus de illo gaudere nolitis? Non est, inquit, tam grande malum quam furtum. Responderi posset, posse furtum tam parvum esse, ut mundanum esse, sit gravius; sed esto sit gravius furtum, non hic æqualitas mali quaeritur, sed similitudo; factisque est bonæ menti malum quæ malum fugere, non quæ tale malum, sicque est factis ad veritatem similitudinis expr. mandam, de-*

Na 3. cla-

L. 2. de vir-
ta cont.
c. 13.

Luc. 6.
Iac. 4.

Ap. 10.

liv. 37. de
verbis Do-
mini.
4. 17.

L. 3. de
virginib.

clarasse, quod de rebus mundi gaudere sicut mundus gaudet, tam sit malum, quam furem de furto gaudere, licet non sit tantum malum. Sic universim sanctus Ambrosius: *Ut corpus, inquit, agrotum nunc calidioribus fovetur, nunc frigidioribus temperatur, remediumque mutatio, si juxta praeceptum fiat medici, salutaris est, si contra mandatum usurpetur, languoris augmentum est; ita medico nostro quidquid penditur Christo, remedium est: quidquid usurpatur, incommodum. Debet igitur bene conscia mentis esse letitia, non in conditis comestationibus, non nuptialibus excitata symphoniis. Ibi enim inuisa verecundia, illecebra suspecta est, ubi comes deliciarum extrema est saltatio.*

Ser. 39. de
verbis Do-
mini.

Quòd etiam spectat salubre hoc Divi Augustini monitum: *Sicut non potest homo duobus Dominis servire, sic & nemo potest in hoc saeculo gaudere, & in Domino. Multum inter se haec duo gaudia differunt, suntque omnino contraria. Quando gaudetur in saeculo, non gaudetur in Domino. Vincat gaudium in Domino, donec finiatur gaudium in saeculo, gaudium in Domino semper augetur, gaudium in saeculo semper minuatur, donec finiatur. Non ideo ista dicuntur, quia in hoc saeculo cum sumus, gaudere non debemus, sed etiam in hoc saeculo constituti jam in Domino gaudeamus.*

Vide in 4. parte, hebdomada 22.

3. VERITAS PRACTICA.

Non te contristes contristatus, & ipsa tua tristitia jam vertetur in gaudium.

Ratio est, quia jam tùm tristitia nostra in gaudium vertitur, quando in tristitia non malum sed bonum esse agnoscitur.

Sed si contristatus non te contristes, bonum in tristitia tua clarè agnosces.

Ergo & ipsa tua tristitia jam vertetur in gaudium; quod certè est exoptandum.

I. PUNCTUM.

Licet discursus sit satis planus & facilis, quia tamen est admodum fructuosus, & ad praxim penè quotidianam perutilis: idcirco paulò latiùs videtur explanandus. Atque hoc imprimis tanquam fundamentum stabilien- & firmitatis animi, nullo casu

concutien- & prae-mittatur, quod si quis in naturali vel fortuita sua tristitia, non malum sed bonum inesse aliquod sibi certò repraesentet & credat; tunc profectò gaudium tam facile sentiet, quàm facile perceperat tristitiam ex apprehenso malo quo fuit excitata.

In hoc enim conveniunt hæ diversæ duæ passiones, quod non nisi ex apprehensione boni vel mali præsentis concitentur: atque ita fit ut sicut in uno & eodem objecto, diversa potest considerari ratio boni vel mali: sic ex illo ipso diversi motus sequentur vel tristitia, vel gaudii vel utriusque simul affectus, prout seorsim bonum & malum, vel simul observabuntur. Hinc illud Propheta: *Confusum est gaudium à filiis hominum:* Id est, homines gaudent iis rebus, quibus morendum esset: & iis morerent, quibus gaudendum esset: quia in illis rebus apprehendunt bonum vel malum aliter atque apprehendi deberet: unde & alius Propheta: *Va qui dicitis malum bonum & bonum malum.* Hinc tota ratio gaudii vel tristitia: *ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* O amarum mundi dulcedinem! O dulcem contra & suavem Christianæ religionis amaritudinem, si, quod in illa est bonum, consideraveris.

II. PUNCTUM.

Sed si contristatus non te contristes, bonum in tristitia tua clarè agnosces.

Supponenda hæc tria. Primum est, duplex esse genus tristitia: unum quod in nobis sine nobis est: alterum quod ira est à nobis, ut sicut illud ponere, sic & possimus deponere. Secundum quod supponas, est, fieri quidem ordinariè, ut duplex illud genus tristitia simul concurrat & sentiatur: posse tamen & debere ab invicem separari, adeo ut adveniendi nobis ex quocunque adverso casu tristitia, non addamus aliam: neque nos jam contristatos, rursus contristemus. Tertium denique, ut melius intelligatur quomodo possimus nos jam contristatos non contristare, oportet prius scire quomodo nos contristemus; Nempe ita fit, ut cum incipimus dolere corpore vel animo; dolemus nos dolere, id est, reflexione facta super illum dolorem vel tristitia sensum quo tangimur, dolet animus quòd ille dolor corporis aut animi nobis obvenit expendit intellectus miseriam in qua jacemus